

- (167. 1143. Eugenius III Pisanus. Obiit 6 Julii 1153.  
 (168. 1153. Anastasius IV Rom. Ob. Decembri 1154.  
 (169. 1154. Adrianus IV Anglus. Ob. 1 Sept. 1159.  
 (170. 1159. Alexander III Senen. Obiit 21 Aug. 1181.  
 Schisma XXVIII. Victor, Paschalis, Calistus, Innocentius successive antipapæ contra Alexandrum.  
 Anno 1179 habitum est concilium *æcumenicum xi, Lateranense iii*, contra Waldenses, Albigenses, etc.  
 (171. 1181. Lucius III Lucen. Ob. 25 Novembr. 1185.  
 (172. 1185. Urbanus III Mediol. Obiit 18 Octobris 1187.  
 (173. 1187. Gregorius VIII Benev. Ob. 15 Dec. 1187.  
 (174. 1187. Clemens III Roman. Ob. 25 Mart. 1191.  
 (175. 1191. Cælestinus III Roman. Ob. 7 Jan. 1198.  
 (176. 1198. Innocentius III ex comitibus Ananiens.  
 An. 1215 habuit magnum concilium *Lateranense iv, æcumenicum xii*, contra Albigenses, etc. Obiit doctissimus Pontifex 20 Julii 1216.  
 Sæculum XIII.  
 (177. 1216. Honorius III Rom. Obiit 18 Mart. 1227.  
 (178. 1227. Gregorius IX Ananien. Ob. 22 Aug. 1241.  
 (179. 1241. Cælestinus IV Mediolan. Ob. die 19 Pont. Sedes vacat annum unum, menses octo, dies quindecim.  
 (180. 1243. Innocentius IV Genuen. Ob. 13 Dec. 1254. Anno 1245 habitum est concilium *æcumenicum xiii, Lugdunense i*.  
 (181. 1254. Alexander IV Ananien. Ob. 25 Maii 1261.  
 (182. 1261. Urbanus IV Gallus. Ob. 2 Octob. 1264.  
 (183. 1265. Clemens IV Gallus. Ob. 29 Novembris 1268. Sedes vacat ann. 2, menses 9, dies 2.  
 (184. 1271. Gregorius X Placentin. Ob. 11 Jan. 1276.  
 Anno 1274 habitum est concilium *æcumenicum xiv, Lugdunense ii*, pro reunionem Græcorum, etc.  
 (185. 1276. Innocentius V Burgund. Ob. mens. 5 Pont.  
 (186. 1276. Adrianus V Genuen. Ob. 40 die pontificatus.  
 (187. 1276. Joannes XX dict. XXI Lusitan. Obiit 16 Maii 1277.  
 Sedes vacat menses 6, dies 8.  
 (188. 1277. Nicolaus III Rom. Ob. 22 Aug. 1280.  
 Sedes vacat menses sex.  
 (189. 1281. Martinus IV Gallus. Ob. 29 Mart. 1285.  
 (190. 1285. Honorius IV Roman. Ob. 3 Aprilis 1287.  
 Sedes vacat menses 10, dies 18.

- (191. 1288. Nicolaus IV Asculan. Ob. 4 Aprilis 1292.  
 Sedes vacat an. 2, mens. 3, dies 2.  
 (192. 1294. S. Cælestinus V Aprut. Cessit pontificatui die 13 Decembris ejusdem anni.  
 (193. 1294. Bonifacius VIII Ananien. Obiit 11 Octobris 1303.  
 Sæculum XIV.  
 (194. 1303. B. Benedictus XI Tarvisinus. Obiit 6 Jul. 1303. Sedes vacat ultra annum.  
 (195. 1305. Clemens V Gallus. Sedem transtulit Avenionem; an. 1311 celebravit concilium *æcumenicum xv, Viennæ*, in causa Templariorum, etc. Ob. 20 Apr. 1314.  
 (196. 1316. Joannes XXI, d. XXII, Gallus. Ob. 5 Dec. 1334.  
 Schisma XXIX. Petrus de Corbaria antipapa.  
 (197. 1334. Benedictus XII Gallus. Ob. 25 Apr. 1342.  
 (198. 1342. Clemens VI Gallus. Ob. 1 Dec. 1352.  
 (199. 1352. Innocentius VI Gallus. Ob. 11 Sept. 1362.  
 (200. 1362. Urbanus V Gallus. Ob. 19 Dec. 1370.  
 (201. 1370. Gregorius XI Gallus. Sedem Romæ restituit 17 Januar. 1377. Ob. 28 Mart. 1378.  
 (202. 1378. Urbanus VI Neapolitanus. Ob. 13 Octobr. 1399.  
 Schisma XXX, omnium teterrimum quod ad annum usque 1429, fœdissime dilaceravit Ecclesiam. Siquidem contra Urbanum VI, quarto ab ejus electione mense recedentes ab ipso cardinales crearunt Pontificem Robertum Gebennensem, qui sedem fixit Avenione, et assumpto Clementis VII nomine vitam protraxit ad an. usque 1394. Ipsi suffectus est die 28 Septemb. ejusdem anni Petrus de Luna Hispanus, qui sub nomine Benedicti XIII, etsi depositus in conciliis Pisano, et Constantiensi, umbratilem dignitatem ad obitum usque retinuit; ob. autem die 23 Maii 1423. Post ipsum denique Clemens VIII pseudo-Pontifex electus, cessione schisma exstinxit an. 1429.  
 (203. 1399. Bonifacius IX Neapolit. creatus 2 Nov. Ob. 1 Octob. 1404.  
 Sæculum XV.  
 (204. 1404. Innocentius VII Sulmonen., el. 17 Octob. Obiit 6 Nov. 1406.  
 (205. 1406. Gregorius XII Venetus, el. 30 Nov., depositus in concilio *Pisano* 3 Jun. 1409. Cessit in concilio *Constantiensi*, 4 Jul. 1417. Ob. 18 Octobr. ejusd. anni.  
 (206. 1409. Alexander V Cretensis, depositus Gregorio XII, electus est die 30 Jun. Ob. 3 Maii 1410.  
 (207. 1410. Joannes XXII, dict. XXIII, Neapolit. Pontificatu abdicatus est, ipso tandem consentiente, in concilio *Constantiensi* ann. 1415. Ob. 22 Dec. 1419.  
 (208. 1417. Martinus V Roman. electus in concilio *Constantiensi* die 11 Nov. Ob. 20 Feb. 1431.  
 (209. 1431. Eugenius IV Venetus, el. 2

- Mart. ann. 1439 celebravit concilium *æcumenicum xvii, Ferrariæ* quidem biennio ante inceptum, sed Florentiæ ipso præside absolutum, ubi de unione Græcorum, Armenorum, etc., actum est. Eodem simul tempore Basileæ acephalum concilium contra ipsum legitimum Pontificem stetit, et schisma conflavit in creatione Amadei Sabaudi, qui nomen assumpsit Felicis V. Ob. Eugenius die 23 Febr. 1447.  
 (210. 1447. Nicolaus V Sarzanen., el. 6 Mart. Gavisus est Ecclesiæ redditam pacem in voluntaria antipapæ Felicis cessione an. 1449. Ob. Nicolaus 24 Mart. 1455.  
 (211. 1455. Calistus III Hispan., el. 8 April. Ob. 6 Aug. 1458.  
 (212. 1458. Pius II Senensis, el. 19 Aug. Ob. 16 Aug. 1464.  
 (213. 1464. Paulus II Venetus, el. 31 Aug. Ob. 28 Jul. 1471.  
 (214. 1471. Sixtus IV Savonen., el. 9 Aug. Ob. 12 Aug. 1484.  
 (215. 1484. Innocentius VIII Genuen., el. 24 Aug. Ob. 25 Jul. 1492.  
 (216. 1492. Alexander VI Hispanus, el. 11 Aug. Ob. 18 Aug. 1503.  
 Sæculum XVI.  
 (217. 1503. Pius III Senen., el. 23 Sept. Obiit 18 Octob. ejusd. anni, 26 die Pont.  
 (218. 1503. Julius II Savonen., el. 1 Nov. Ob. 21 Febr. 1513.  
 An. 1512 incepit concilium *æcumenicum xviii, Lateranense v*, quod anno tantum 1517 absolvit successor, nempe.  
 (219. 1513. Leo X Florent., el. 15 Mart. Ob. 1 Dec. 1521.  
 (220. 1522. Adrianus VI Belga, el. 9 Joan. Ob. 24 Sept. 1523.  
 (221. 1523. Clemens VII Florentin., el. 19 Nov. Ob. 25 Sept. 1534.  
 (222. 1534. Paulus III, Roman., el. 3 Octobr. Ob. 10 Nov. 1549.  
 (223. 1550. Julius III Aretin., el. 8 Febr. Ob. 23 Mart. 1555.  
 (224. 1555. Marcellus II Politianus, el. 9 April. Ob. die 22 pontificatus sui, nempe 30 April. ejusd. anni.  
 (225. 1555. Paulus IV Neapol., el. 23 Maii. Ob. 18 Aug. 1559.  
 (226. 1556. Pius IV Mediolan., el. 26 Decembr. Ob. 9 Decembr. 1565.  
 Concilium *æcumenicum xviii*, convocatum jam ab an. usque 1542 a Paulo III, Mantuæ, dein Vicentiæ, ac inceptum Tridentini an. 1545, Bononiam an. 1547 translatum, tandem Tridentini revocatum, finem habuit an. 1563, sub Pio IV.  
 (227. 1566. Pius V Alexandrin., el. 7 Jan. Ob. 1 Maii 1572.  
 (228. 1572. Gregorius XIII Bononien., el. 13 Maii. Ob. 10 Ap. 1585.  
 (229. 1585. Sixtus V e Montealto, el. 24

## SUMMARIUM.

1. Rubricæ unde sint dictæ? — 2. Rubricæ quid sint? — 3. Rubricæ aliæ sunt præceptivæ, et aliæ directivæ, et quæ sint utraque? tum de earum ob-

FERRAR. VII.

- Apr. Ob. 27 Aug. 1590.  
 (230. 1590. Urbanus VII Roman., el. 15 Sept. Ob. 14 sui pontificatus die.  
 (231. 1590. Gregorius XIV Mediolan., el. 5 Dec. Ob. 15 Octob. 1591.  
 (232. 1591. Innocentius IX Bononien., el. 30 Octobr. Obiit 31 Decembris ejusdem anni, pontific. m. 2.  
 (233. 1592. Clemens VIII Florent., el. 30 Jan. Ob. 5 Mart. 1605.  
 Sæculum XVII.  
 (234. 1605. Leo XI Florent., el. 1 Apr. Obiit 26 pontificatus die, nempe 27 ejusdem m. et ann.  
 (235. 1605. Paulus V Senen., el. 16 Maii. Ob. 28 Jan. 1621.  
 (236. 1621. Gregorius XV Bonon., el. 9 Februar. Ob. 8 Jul. 1623.  
 (237. 1623. Urbanus VIII Florent., el. 6 August. Ob. 29 Jul. 1644.  
 (238. 1644. Innocentius X Roman., el. 14 Sept. Ob. 7 Jan. 1665.  
 (239. 1655. Alexander VII Senen., el. 7 April. Ob. 22 Maii 1667.  
 (240. 1667. Clemens IX Pistorien., el. 20 Jun. Ob. 9 Dec. 1669.  
 (241. 1670. Clemens X Roman., el. 29 Apr. Ob. 22 Jul. 1676.  
 (242. 1676. Innocentius XI Novocomen., el. 21 Sept. Ob. 12 Aug. 1689.  
 (243. 1689. Alexander VIII Venetus, el. 6 Oct. Ob. 1 Febr. 1691.  
 (244. 1691. Innocentius XII Neap., el. 12 Jul. Ob. 27 Sept. 1700.  
 Sæculum XVIII.  
 (245. 1700. Clemens XI Urbinas, el. 23 Nov. Ob. 19 Mart. 1721.  
 (246. 1721. Innocentius XIII Roman., el. 8 Maii. Ob. 7 Mart. 1724.  
 (247. Benedictus XIII Rom., el. 29 Maii. Ob. 21 Febr. 1730.  
 (248. 1730. Clemens XII Florent., el. 12 Jul. Ob. 6 Febr. 1740.  
 (249. 1740. Benedictus XIV Bononien., el. 17 Aug. Ob. 3 Maii 1758.  
 (250. 1758. Clemens XIII Venetus, el. 6 Jul. Ob. 2 Febr. 1769.  
 (251. 1769. Clemens XIV Arimin., el. 19 Maii. Ob. 23 Septemb. 1774.  
 (252. 1773. Pius VI Cæsenas, el. 15 Febr. Obiit Valentia in Delphinatu, in Gallia, an. 1799.  
 Sæculum XIX.  
 (253. 1800. Pius VII electus die 14 Martii, obiit anno 1823.  
 (254. 1823. Leo XII obiit anno 1829.  
 (255. 1829. Pius VIII obiit anno 1830.  
 (256. 1831. Gregorius XVI obiit anno 1846.  
 (257. 1846. Pius IX, electus die 16 Junii, quem Deus Ecclesiæ suæ diu sospitem servet.

## RUBRICÆ.

- servantia ad n. 17. — 18. Assignantur quædam omissiones, quæ sunt solum peccatum veniale. — 19. Item veniale tantum est omittere orationes dici solitas inter induendas sacras vestes. — 20. Omit-

tere preces ante missam legi solitas nullum est peccatum; dummodo sacerdos sit aliunde præparatus. — 21. Manuum lotionem omittit ante celebrationem missæ est peccatum veniale, si ipsæ manus sint immundæ. Imo etiam mortale, si sint notabiliter immundæ et sordidæ. — 22. An et quale sit peccatum celebrare missam nondum recitato matutino? *remissive*. — 23. Veniale tantum est omittit aliquas benedictiones, cruce, deosculationes altaris, genuflexiones, inclinationes, manuum et oculorum elevationes, et hujusmodi. — 24. Quodnam sit peccatum omittit ablutionem calicis faciendam cum vino, et ipsam facere cum sola aqua, et in secunda purificatione, et digitorum ablutione uti sola aqua vel solo vino? — 25. Addere in sacrificio missæ aliquid valde notabile ultra ea quæ in Rubricis præscribuntur, ex genere suo est peccatum mortale. — 26. Addere aliquid, quo mutetur sensus formæ consecrationis, est grave sacrilegium: et tunc non conficitur sacramentum. — 27. Si vero addatur aliquid non destruens significatum formæ, quod tamen sit contra ritum Ecclesiæ, tunc conficitur quidem sa-

(1. Rubricæ quoad vim nominis, ideo sic dicuntur, quia rubro colore sæpius scribi solent. Sic doctores communiter; indeque prodiit notabile illud, quod circumfertur effatum: *Lege rubrum, si vis intelligere nigrum*. (2. Rubricæ sunt quædam regulæ communes continentis ritus, tum in celebratione officii, tum in sacramentorum administratione servandos. Sic in re communis.

(3. Rubricæ aliæ sunt præceptivæ et aliæ directivæ. *Præceptivæ* sunt quæ obligant in conscientia, et sub peccato ad servandos ritus in eis præscriptos. *Directivæ* sunt, quæ non imponunt obligationem, sed proponunt, quid sit agendum, et dicendum, vel non, per modum consilii et instructionis. Sic in re doctores communiter.

(4. Sub mortali obligant rubricæ præceptivæ, quæ continent seu notant aliquid, quod alias ex jure vel ex legitima consuetudine graviter jubetur vel ipsæ Rubricæ expresse sub mortali præcipiunt. Unde earum transgressio est mortalis, nisi excuset levitas seu parvitas materiæ aut inadvertentia et indeliberatio, ut contingit communiter in aliis præceptis. *Communis*.

(5. Hinc omnis notabilis et gravis voluntaria mutatio, additio et detractio circa missam, divinum officium et sacramentorum administrationem, est peccaminosa lethaliter. Colligitur aperte ex duplici constitutione sancti Pii V, una incip. *Quo primum*, et in principio Missalis exposita, et alia incip. *Quod a nobis*, pro reformatione Breviarii Romani edita, et in ejus principio impressa, in quibus, ut eas legenti patet, omnis notabilis et gravis voluntaria mutatio, additio et detractio circa missam et divinum officium graviter respective prohibetur, ut ex concilio Tridentino, sess. vii, *De sacramentis in genere*, canon. 13, ubi id graviter prohibetur sub pœna anathematis circa administrationem sacramentorum, ibi: « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a

cramentum, sed sacerdos graviter peccat. — 28. Addere aliquid animo et intentione inducendi novum ritum in sacrificio missæ est peccatum mortale. — 29. Addere aliquid etiam sine animo et intentione mutandi ritum, si additio sit in notabili quantitate, et circa ea, quæ publice recitantur, est peccatum mortale. — 30. Si additio sit in notabili quantitate, et solum circa ea, quæ secreto recitantur, adhuc probabilius est gravis culpa. — 31. Si vero additio fiat in modica quantitate, et verba, seu gesta addita sint secundum se pia, honesta et salutaria, tunc, secluso animo inducendi novum ritum, nullum est peccatum. — 32. Addere in missa unam collectam seu orationem ultra præscriptas, an sit peccatum? — 33. Addere in missa *Gloria in excelsis*, aut *Credo*, cum omittendum sit, est solum peccatum veniale, nisi tamen hoc fiat cum magna deformitate et scandalo, ut si addatur in missa *de Requiem*. — 34. Addere sub longo cantu ad *Gloria in excelsis*, aut *Credo* aliquam piam orationem, aut etiam recitare parvas Horas memoria retentas nullum est peccatum, cum aliis notandis ad n. 42.

ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit. »

(6. Transgressio Rubricarum præceptivarum ex suo genere mortalis, potest esse venialis ex duplici capite, scilicet ratione parvilitatis materiæ, et ratione indeliberationis, seu inadvertentiæ. *Communis*. Et quod ratione *parvilitatis materiæ*, stat clarum, quia ubi est parvitas materiæ, modica reperitur offensio, seu violatio præcepti, adeoque non excedit culpam venialem: ratione *indeliberationis seu inadvertentiæ*, est etiam evidens, quia culpa mortalis non contrahitur, nisi cum plena deliberatione seu plena advertentia; adeoque sicuti, si nulla sit deliberatio, nullaque advertentia, nulla contrahitur culpa, ita si non sit plena, sed modica deliberatio seu advertentia, solum modica et levis culpa contrahitur.

(7. Transgressio Rubricarum præceptivarum ex suo genere levis seu venialis potest transire in mortalem quatuor præcipue modis. Primo scilicet ratione pravi finis adjuncti; secundo ratione contemptus; tertio ratione scandali; et quarto ratione periculi. Sic doctores communiter.

(8. Et quidem *ratione pravi finis* transgressio Rubricarum ex suo genere venialis potest transire in mortalem, si finis transgressionis sit mortalis, ut v. gr. si sacerdos partes leves missæ omittat, ut placeat concubinæ quæ petit missam brevem. Si faciat aliquid contra Rubricas animo, seu fine introducendi novum ritum, et hujusmodi; actus enim peccaminosus contrahit malitiam, nedum ex objecto, sed etiam ex aliis circumstantiis, et præsertim ex fine, adeoque si finis transgressionis Rubricarum sit mortaliter malus, etiam ipsa transgressio, quamvis ex suo genere levis seu venialis, evadet gravis seu mortalis.

(9. *Ratione contemptus* transgressio Rubricarum ex suo genere venialis transit sine dubio in mortalem, si fiat expresse et absolute contemnendo potestatem Ecclesiæ vel Papæ, aut alterius superioris sic disponentis, quia talis contemptus, cum de se

destruat auctoritatem superiorum, et subjectionem subditorum, erga illos, est grave peccatum. *Qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*; ut scribit Apostolus ad Romanos, cap. xiii, n. 2.

(10. *Ratione scandali* transgressio Rubricarum ex suo genere levis seu venialis, evadit gravis seu mortalis, quoties scandalum grave seu mortale est, uti est, si sacerdos, qui missam celebrat, frequenter se vertat, et curiose mulieres astantes aspiciat, unde oriatur in aliis occasio peccandi. Vel si in usu caeremoniarum ita irreverenter et in composito se gerat, ut apud populum notabiliter vilescant sacra mysteria, et sic de similibus: quamvis enim aspectus curiosi secundum se, vel irreverentia et in composito in sacris functionibus sit solum culpa venialis, evadit tamen mortalis ratione gravis damni, quod per tale scandalum causatur in aliis.

(11. *Ratione periculi* transgressio Rubricarum ex suo genere venialis evadit mortalis quoties grave periculum est incedendi inde in peccatum mortale, uti est, si quis velit celebrare sine Missali cum periculo errandi in re gravi, seu celebrare vel in mari, aut in loco ventis exposito cum periculo subversionis sacramenti, et hujusmodi. Temere enim se exponens proximo peccandi mortaliter, aperte demonstrat se esse paratum tale mortale peccatum committere, et non curare de æterna sua morte, quæ inde sequitur, juxta illud *Ecclesiastici* iii, num. 21: *Qui amat periculum, in illo peribit*.

(12. Transgressio Rubricarum mere directivarum, per se loquendo nullum est peccatum. Tambur., lib. i, cap. 7, § 2; Gobat., tom. i, tract. 3, nu. 737, et alii passim; hoc enim vertit discrimen inter consilium et præceptum, quia nempe consilium non obligat ad culpam, præceptum vero obligat ad ipsam; adeoque, cum Rubricæ directivæ non contineant præceptum, sed solum consilium, earum transgressio per se loquendo nullum est peccatum.

(13. Dicitur autem notanter per se loquendo, quia in transgressionem hujusmodi Rubricarum mere directivarum solet intervenire culpa venialis ratione finis seu motivi, quod inducit ad earum transgressionem, et communiter solet esse vel negligentia, vel torpor animi, vel nimia propensio ad alias occupationes vanas, et contra rectam rationem; finis enim rectus, et rationi conformis non retrahit ab observantia Rubricarum seu regularum ecclesiasticarum, sed potius ad ipsam conducit; unde si sine rationabili causa negligantur, seu non observentur, quamvis sint solum directivæ, peccatur saltem venialiter. Sic communior doctorum.

(14. Omittit in Rubricis missam concernentibus quemcunque ritum vel partem missæ essentialem, vel accidentalem valde notabilem, est peccatum mortale. *Communis*. Hinc mortaliter peccaret, qui omitteret oblationem panis aut vini, consecrationem in

nitraque specie, elevationem hostiæ et calicis, mistionem particulæ cum sanguine, aquæ cum vino, totam epistolam, totum evangelium, totam præfationem, totum canonem et totam orationem *Communicantes*, vel *Hanc igitur*, totam postcommunem, et hujusmodi. Item peccatum mortale est omittit in eadem missa, sicuti in eodem divino officio, tot modicas partes, seu tot versiculos, ut simul constituent materiam notabilem, quæ materia notabilis erit extra canonem, si tot verba aut versiculi omittantur, ut adæquent quantitatem integræ epistolæ, integri evangelii, et hujusmodi. Intra canonem autem secundum aliquos omissio cujuslibet verbi, etiam unius solius, censetur materia notabilis et culpa mortalis, ut vult Nugnus, in part. iii, quæst. 83, artic. 1, dub. 2, et alii, quod tacito nomine citat Suarez, tom. III *De sacramentis*, disputat. 83, section. 3. Et huic sententiæ dicunt favere quamdam declarationem sacræ Rituum congregationis 12 Novembris 1615; qua decretum fuit regulares peccare mortaliter, si in canone missæ omittant nomen episcopi, et ejus loco proferant nomen sui generalis, ut referunt plures doctores apud Dianam part. ii, tract. 14, resolut. 24.

(15. Ast dicta sacræ congregationis declaratio intelligitur passim a doctoribus in casu, quo a regularibus omittatur nomen episcopi ex contemptu, et ponatur nomen sui generalis animo inducendi novum ritum; unde si aliquis regularis bona fide profert nomen sui generalis, et omittit nomen episcopi absque contemptu, et sine prædicto animo inducendi novum ritum, non peccaret nisi venialiter. Sic Tamburin., *Opuscul. de sacrific.* lib. ii, cap. 3, § 3, n. 7; Garcias, *De sacerdot.*, tract. 3, difficult. 8, dub. 6, punct. 2; Quarti, in *Rubricis Quæstion. præmial.*, sect. 3, punct. 3, vers. *Ad declarationem*; Sporer, tom. III, part. ii, cap. 6, sect. 4, n. 428, et alii plures, qui insuper dubitant, an revera authentice existet talis sacræ congregationis declaratio. \* In *Indice decretorum* ad tom. I *Thesauri sacrorum Rituum* Bartholomæi Gavanti cum *Additionibus* Cajetani Merati num. 149, pag. 1437: « Non debent regulares in canone nominare superiores suos, ut antistites; S. R. C. 14 Novembris 1615.

« Hoc decretum affertur a Gavanto in suo *Indice*; sed in *Regest. sac. congregationis* non reperitur, saltem sub ante dictis die, mense et anno. »

(16. Unde concludendum est cum probabili sententia, quod in canone, si non destruat sensus, vel non minuatur notabiliter significatio, vel representatio mysterii, omissio quatuor vel quinque verborum non excedat culpam venialem; si autem plura, quam quinque advertenter et deliberate omittantur, erit peccatum mortale. Garcias, *loco cit.*, dub. 6, punct. 3; Quarti, *loco cit.*, vers. *Dico quarto*, et alii plures. (17. Si autem destruat sensus, vel notabiliter minuatur significatio vel representatio mysterii, quodlibet volun-